dam Hieronymus

Stanislai Aurora na-

talium.

AVRORA
NATALIVM.
Illustrissimi ac Magnifici Domini,
D. ADAMI HIERONYMI
à GRANOW
SIENIAWSKI.

Ad auspicatissimi Solis ortum reducentis diem anniuersariam Illustrium Incunabulorum suorum.

Sub Auspiciis

STANISLAI OSSĘDOWSKI, Artium Magistri & Philosophiæ Doctoris, Professoris Nowodworsciani. Ab Illustri & Nobili Iuuentute Academica, ex Schola Pöeseos Gratulationis ergò,

In lucē producta ac decātata, Anno Reparatæ salutis M. DC. XXXVIII. die 30. Septēb.

CRAC: Typis Antonij Wośinski, A. 1638.

IN STEMMA.



EXoriare polo noue Bosphore, cresceq́; famâ;
Hoc tua vult Phœbe, Stellaq́; pennigera.
Cynthia dum radians cælis, & sydera current:
SIENIAVIVM terris irrutilato iubar.
Siue dies seu nox Patrio præluxeris orbi
Sic idem verè Lucifer, Hesper eris.

Nicolaus de Zmigrod Stadnicki.

Ode

ODE.

Tricolos Tetraſtrophos.

FAuſte Natalis redeunte Feſto,
Proſper ô adſis: meliorque ſemper
Luſtra SIENIAVÎO bona fac reducas,
Sole ſereno.
Proſper & felix venias rogamus,
Principi Nato: cuì vota Phœbus,
Et nouem Muſæ properant; ſecundis
Viuat vt annis.
Aſtriger Princeps pia noſtra vota,
Quæ damus pro Te Superûm Tonanti,
Et Poli Magnæ Dominæ: fer æquâ
Mente precamur.
Facque ne ſpernas, licet illa fiant
Impari pompâ, minùs & diſerto
Prodeant cultu, facie ſerenâ
Accipe munus.
Immò age, Auctori Superûm, ipſe defer
Sacra nobiſcum. Tibi namque cœlo

GRATIÆ cunctæ ſua dona cornu
Diuite fundunt.
Siue ſpectemus genus? illud altum
Ex Auis ſummis Atauisque ducis,
Stirpe SIENIAVÂ: Cui quanta Lux eſt?
Sydera monſtrant.
Et Cruces iunctæ Soleæ loquuntur,
Hoc idem; veſtræ Domui coruſcæ
Quas tulit KOSTKOWNA Auia; illa Diuûm
Vera Propago.
Dicit hoc ipſum mediata binis,
Inclytæ Matris Crucibus Sagitta:
KOTKIEVICÔRVM decus orbe toto,
Nomine clarum.

Georgius Adamus Oſsolinski, de Teczyn, Fil: Theſaur: Reg: Cap: Marienburg: & Byecen: Stud: Poëſ.

II.

SIue Fortunas volumus? vel ipſi
Diuiti Crœſo tua par ſupellex

Sunt

Sunt Tibi centum Populi, tot vrbes!
Pergama totque!
Mille agri, gazæ totidem: tot arua!
Tot Domus claræ famuli! tot auri!
Et tot argenti Cumuli, quot alto
Æquore arenæ.
Eſt Opum dulcis ratio & ſalubris,
Multiplex vſus: Patriæ iuuandæ
Seruit argentum, miſeris leuandis,
Funditur aurum.
Corporis dotes áùt intuemur?
Pulcher: & formâ Superas Iúlos;
Inter æquales & es; inter aſtra
Clara quod Heſper.
Lucifer vultus nitidos vt ortu
Clarior ſtellis it, & orbe toto
Luminis flammâ radiante vincit,
Ætheris ignes:
Haûd ſecus formâ Specioſe Princeps,
Sarmatas vincis Iuuenes decoros;
Cedit vt ſoli iubar omne: Pubes
Sic tibi cedit.

Mentis

Mentis at tantò Tibi Forma maior,
Spiritus quantò ſine mole quauis,
Particeps Auræ Æthereæ, Deique:
Corpore præſtat.
Dignior quantò Polus eſtque terrâ,
Maius et quantò pretium metallis
Cæteris auro: decor atq; maior
Solis, Olympo.
Indoles in Te generoſa multùm,
Nil leue, aût paruũ, aût humile, aût tenellũ:
Summa ſed quæuis ſapit, atq; Regno, &
Principe digna eſt.

Ioannes Potocki de Potok, Palat: Braclau: Capit: Camenec: Laticou: Litin: Stud: Pòëſ:

I I I.

VEla ne pandam? rate néue paruâ,
In tuas laudes numero carentes
Inuehar? verbo ſatis vnico rem,
Prêndere præſtat.

Quic-

Quicquid in cælis fuerat bonorum,
Hoc tibi Diui, pariterque Diuæ,
Dexterâ plenâ tribuêre totum,
Nutibus orbis.
Pandoræ quondam velut omnia vni,
Dî Deæq; omnes sua contulerunt
Munera; vt Vatum monumenta docto,
Carmine tradunt.
Cuî Venus formam tribuisse fertur,
Indolem Pallas; Dominans Opum vim
Præstitit Iuno, reliquiq; Diui
Cætera dona.
Verius sed Tu, meliusque longè
Diues es, Donis Superûm Tonantis!
Patriæ prosis quibus est necessum,
Tempore quouis.
Principum Virtus? Dare vbi est necesse.
Principum Virtus? Patriam iuuare.
Principum Virtus? Propriam erogare
Pauperibus rem.
Hac Tui semper Viguêre Clari
Ante Maiores, Ataui Paterque:

Hac

Hac viam ad Cœlos Auia en Tua aptat
Aſtra merendo.
Inde quod Regno Patriæque toti
Rebus & Sacris benè profuerunt,
Sumptibus magnis opibusque ſummis,
Sydera geſtant.
Pænè non fruſtrà, meruêre namq;
Inſeri Cœlo pietate ſummâ,
Inque præclaris Patriæ trophæis
Sydera ferre.
Viuet extentis Catharina ſeclis,
Cælitum magnæ Superum Parenti,
Sumptibus ſummis quód ad aſtra ſacras
Duxerit ædes.

Chriſtophorus Franciſcus Sapieha, de Maćie-iow, Succam: Vlodimirien: Stud: Póëſ:

I V.

VIvet extentis Catharina ſeclis,
Pura Conceptæ ſine labe donec,
Virginis Matris Sacra Feſta terris
Ritè colentur.

Nam

Nam ſub hoc Diuæ titulo Parenti,
Splendidum Templum dedit, & dicauit,
Cernere vt fas eſt cuique illud, extra
Mænia Craci.

Hocce Carmeli, quibus ortus altus
Vſque ab Eliâ, tenuêre Patres:
Sorte fundati Catharis, cûi de
Stember origo.

Viuet extentis Catharina ſeclis,
Rusſiæ terris; vbi ſacra multo
Auro & argento, placitura Cœlo,
Templa beauit.

Iactat illius pietate Sumptus,
Iactat immenſos, grauis vrbs Leonis:
Atque iactabit, ſua donec vſque
Pergama ſtabunt.

Aſtra non fruſtra retulêre Signis
In ſuis, Regno Patrio celebres
Laude SIENIAVIÎ: rutilant eorum
Facta velut Sol.

Spes par eſt de te Iuuenis Parentum vt
Ipſe ſplendores meritis adæques,

 Perque

Perque virtutes reserato Olympo,
Sydera scandas.

Casimirus Albertus Roxicki Castell.
Polanecen. Stud: Pöes:

V.

IN sinu Lunæ tibi stella ridet,
Et tibi Phœbe Sinuosa crescit,
Et tibi Cœlo iubar auspicatum,
Lucifer effert.

Magne SIENIAVI nihil adlaboro,
Perspicax res est: Tibi Sydus ortu
Lucidum fulget, Tibi pulchra Phœbe
Cornua tollit.

Ritè Natalem Tibi præfigurat,
Ortus Auroræ, radiusque Lunæ:
Namque Tu Regni Patrij futurus,
Lucifer olim.

Tu decus summum, iubar & perenne
Sarmâtum Terræ, noua Tu Paternæ
Gloriæ surges seges, & Tuorum
Splendor Auorum.

Tu Domus fulgor radiis coruſcus,
Exeres Regno iubar, & Paternis
Lucibus Luces, decus & decori,
Inſuper addes.

Omen & Nomen; tibi Stella cælo
Spondet hoc ipſum radioſa flammis,
Hoc idem creſcens tibi pollicetur,
Cynthia vultu.

Inde dum primùm caput extuliſti,
Parue de Cunis tenerum Dynaſtes,
Sarmatis Tellus, tibi læta plauſu,
Obuia prodit.

Prodit; & bello ſua fert Puello
Principi; dextrâ properante dona,
Geſta maiorum, quibus ars Tuorum
Dædala pinxit.

Serico texto ſuper incubando,
Vt legas paruus monumenta rerum,
Quæ Tui quondam Proaui domato
Orbe tulerunt.

Excitus factis Puer, vt Tuorum,
Pro Deo & Regno Patriæ focisque,

Semper

Semper in duro vigiles labore,
Fortis in armis.
Dumq; fert ætas, teneris in annis,
Palladis doctæ studiis amicus,
Quæ tibi prosint, Patriæque: discas
Pectore toto.
Molle nil textum tenet hoc, licet si
Paruulo molli tibi sit dicatum:
Martis at sæui tremulo duello; &
Sanguine scriptũ est.

Alexander Sapieha, de Macieiow, Succam: Vlodimiriensis, Stud: Pöes.

VI.

CErnis? vt totum tibi pignus istud;
Patriæ caræ, Patrijque Regni,
Nil nisi pugnas? nisi tela profert,
Tincta cruore?
Hic sciens pugnæ, metuendus hastâ
Hostium victor, tibi se videndum
Nicolaûs offert, genus ille summum
SIÈNIAVÛM.

Huc

Huc Palatinus venit in theatrum
Rusſiæ, æternum cúi fama nomen,
Gente SIENIAVA dedit ex Getarum
Sanguine fuſo.
Hîc Alexandros licet intueri,
Nomine & re Similes pares que,
Magno Alexandro: cúi pænè totus
Paruit orbis.
Hîcce Bernardos licet en videre,
Marte felices: quibus vna virtus,
Vna ſors, & mens: fuit & voluptas
Sternere Thraces.
Procopîos fas hîc oculis tueri,
Mille Ductores, alios que fortes,
Quos Domus SIENIAVA tulit, decoros,
Ampla triumphis.
Ex quibus Parthos fugat, hic feroces,
Finibus Regni; melior ſagittis
Alter in Mauros volat, & cruentos
Fulminat hoſtes.

Zbigneus Zelenski, de Zelonka, Filius Pocillatoris Braclauień: Stud: Póëſ:

Hic

Hîc SENATORES libet: atque fas est
Cernere insignes: quibus vna cura,
Vna mens semper fuit, vt perennis
Patria staret.

Præsules magnos speculariérque
Infulâ celsos iuuat; astra Cœlo
Nutibus quorum patuêre, & æther
Plausit Olympo.

Hîc tibi è multis oculis videndus
Pontifex magnus, cúi Gnesna supplex
Præbuit sedem; stupefacta supra
Præsule sacro.

Hîc tibi spectandus, adest vir astris
Altior famâ; SIèNIAûIVS ille
PETRVS, á Petrâ cúi Schema verè
Quadrat in æuum.

Namque VERNERVM malè sanus olim,
Cum (nefas dictu) peteret Bolesta,
Ceû BOLESLAVS truculentus alter,
Sanguine fuso,

Crimi-

Criminis vindex, scelerisque sæui
Vltor insignis, posito timore;
Fortis indixit Populo sacerdos,
Parcere sacris.
Vsque dum cædis sceleratus author
Solueret pœnas; nihil ille mortis,
Hostium aût veri timidus, minarum
Fulmida spreuit.
Præsulis tanti speculator vt sis,
Haûd sat est, vt sis Comes, est necessum,
Fama SIENIAVÆ fuit, estque Gentis
Iusta tueri.
Cur sed à longè iaculor, & altum
Inuehor? certè propiora tangunt
Fortiùs? pectus rapiunt magisque,
Nata recenter.
Inspice Exemplum Generose Magni
Magne SIENIAVI puer, illius; qui
Te Tuo Magno Genitore, fecit
Vsque beatum.
En tibi Præstans Auus in duellis,
Prælijs Victor, cui sæpè mille
Agmina

Agmina inſtantûm Patriæ Scytharum,
Terga dederunt.
Miles inuictus, Gethicas Phalanges
Sæpè qui ſtrauit; Præijtque Ductor
Primus aduerſus Scythicas cohortes,
Sæpè Polonis.
Sarmâtum Regni, cùi cum Senatu
Spontè Rex munus dedit; Acer ille
Dux vt in bello, fera ſigna Martis
Ferret in Hoſtes.
Ante quàm creſcas puer aptus armis,
Manè Vexillum vigil ad duella,
Dux tibi præfert, vt ad arma natus,
Martia tractes.
Atq́ue vbi magni Patriæ Parentes,
Morte præuenti poſuère fines,
Tu nouis Regnum decorare felix
Incipe palmis.
Vt Domus totum Patrium per orbem,
Nota clareſcat magis, & Tuorum
Fama Maiorum ſine fine toto
Creſcat in orbe.

Christo-

Christophorus Skotnicki, de Bogoria,
Stud: Rhet:

VIII

PRæſto ſit ſemper tibi viua virtus,
Patris Illuſtris generoſa Proles
PROCOPÎ, cuius meritis vt eſsent
Præmia digna.
Præter immenſos alios honores,
Patrio Regno Decus atque Nomen
Pocilatoris capit, annuente
Principe Regni.
Atque Vixiſſet Patriæ perennis,
Et tibi carus Pater ô adhuc; ô
Vſque creuiſses; & honora Regni
Nomina ferres!
Sed ſecus Viſum Superûm Tonanti,
Et ſecus Fatis. Fera, dura, ſurda,
Vota quæ Patris pariterque Nati,
Morte tulerunt.
Te Domus ſolum tua reſpicit nunc,
Vnus & ſolus Generoſe reſtas,

Patriæ Phœnix: renouare seclis
Magna Propago.

Creslaus Stanislaus de Kurozweki, Meczyński Stud: Póës.

IX.

NAscere & crescas noua fax Polônum;
Et iubar Lunæ radiare toto
Sarmâtum mundo facias, quod est Ec-
clesia Christi.

Nascere, & crescas; Pietasque Tecum
Crescat in Terris. Timor & Tonantis
Occupet Regnum. Tua Luna per Te
Crescat in æuum.

Solis æterni radiata flammis,
Crescat æternùm; Caput efferatque,
Aureum cœlo, Patrioque toti
Luceat Orbi.

Nascere & crescas noua Lux Polônũ,
Clare SIENIAVI, Sapientiaque:
Emine Heroas super vnus omnes,
Inclyte Princeps.

Vt iubar

Vt iubar Regni radiet coruſcum,
Principe in Regno Sapiente, Faſces
Patriæ caræ Sapienter, æquè &
Ritè regente.

Regna tum demúm fore nam beata,
Principes quando benè mente cultâ,
Sceptra Regnorum, Populos regentq;
Præſide Phœbo.

Naſcere & creſcas noua Lux Polônum,
Clare SIENIAVI. Sapientiæq;
Te dato totum Studijs, beetur
Te duce Mundus.

Indolem Summam tibi Dî dederunt,
Atque Cultores animi addiderunt,
Quos Alexandro Sapiens Philippus,
Ipſe petiſſet.

Namque tam dignis (reor vt) Magiſtris,
Ille Diuinus licet atque Summus
Ingenîj donis, Stagirita longè
Cederet ipſe.

Albertus Caſimirus de Kurozwki
Meczyński Stud: Pôëſ.

INter hos primus velut inter ignes
Ætheris Titan, pietate Clarus
In Deum & Diuos: Tibi Dux ad astra
Lumina præfert.
Vt Deum Authorem, tibi qui creauit
Sydera, agnoscas & ames, vt vnum
Ens, bonum, verum. meliùs nihil quo
Maiùs & vsquam est.
At quis hic tantus? memorate Musæ,
Nam Viro tanto Lyra nostra non par?
Scilicet nomen cùi Sacra Iacob
Indidit Aura.
At PIOTROWICKI celebratur idem,
A domo Patris. Referam quid omnes
Illius laudes? cùi summa virtus
Nomina fecit.
Laureas Tres hic meruit Lyceo
Cracico, Magnus celebratur atque
DOCTOR in Sacris; cùi Suada linguam
Dulcè fluentem

Contulit. Multos animos Catenis
Ducit hic, quò vult. Sacra siue Templis
Fulminat: doctis áùt in Cathedris
Intonat ille.
Nomen in Templis habet ille summum,
Inter & Mystas celebres Sacerdos,
Occupat Palmam pietate summâ,
Clarus vbique.
Inque Terrarum Lechiæ Theatro,
Forma maiores Academiæ inter
Huncce Collegas posuit, sinuq;
Suauè recepit.
Post virum tantum. Tibi Palma cedit,
Magne Præceptor celebrisquę Cultor
Principis magni. Samuel, meum Cor,
Mens mea, Skrzynski.
Quem DEVS, Natura Parensque, finxit
Principum celsis animis colendis,
Admodùm suauem, facilem, modisq;
Omnibus aptum.
Artibus quicquid potes, ô Magister
Ingeniî summi, Sophiæque Doctor,
Viribus

Viribus quicquid potes, id Dynaſten
Inſtruis amplè.

Si quis at debet Tibi pro Labore,
Proque Culturâ, vigilique curâ,
Credo debebit meus & tuus SIE-
NIAVIVS olim.

Pallas inſudat tua cùi, ſeù Lux
Porrigat Cœlo radios: ſeu nox
Atra per Terras grauibus tenebris
Incubet orbi.

Porrò, ne deſit quid adhuc Dynaſtæ,
Moris & cultus animi, atque mentis.
Magnus accedis Domino Magiſter,
STANESILAE.

Clare Lipnicki: cúi cúra circa
Principem ſemper vigil incubanti
Eripit ſomnum toties, & addit,
Lumina mille.

ARGVS, vt tanquam vigiles vbique,
Luminum centum radiis ad omnes
Angulos ſpectans; Domino malumnè
Accidat vllum.

Caſibus

Caſibus ſemper metuis: per orbem
Sæpè qui paſſim iaculantur arma,
Inque mortales ſua tela figunt
Sortis iniquæ.
Vnde Spes magnas facio Fauorum
Principis quondam tibi. nî Malignus
Vt Solet Liuor meritis obeſſe
Lædere pergat.
Quartus accedo Tibi cum Póëſi
Ipſemet Vates. licet impar vſque
Principi Tanto. tamen vt Magiſter
Dignus amore.
Par Diîs nunqnam potis eſt referri
Gratia. haûd vſquam pariter Magiſtris,
Cura penſatur, neque ſat Parenti
Soluitur vlli.
Culte SIENIAVI ſtudijs, Olympo
Plurimùm debes. memor & Magiſtris
Mon minùs debes. Patriæ Patrique
Plurima debes.
Quid loquar? quantùm Dominæ teneris?
Poſt Deum & dulces proprios Parentes,
O Tuæ

O Tuæ in terris Auiæ Nepos ? cuî
XI. Niteris vni.
Cuius ô curâ puer educaris,
Splendidè: à cunis terris Ephebus.
Et manu, & dulci gremio foueris.
inclytus Heros.
At magis tantò, magis Vſque debes
Totius Regni, Patriæq; Matri;
Inclytæ Princeps Academiæ inquam
Plurima debes.
Illa nam cultrix tua, & illa nutrix,
Illa dux recti: Tibi nam Magiſtros
Illa produxit, quibus educâre ad
Commoda Regni.
Magna Spes ſurgit. Fore tempus illud
Quo puer creſces titulis honorum,
Sarmatum regno: ſuper aſtra famæ &
Tollere pennis.
Culta mens rectis Studijs: origo,
Fons & eſt Vnus, Via, duxque certa,
Ad decus quoduis. Comitantur Vltrò
Stemmata dignos.

Nicolaus Stanislaus Tegoborski, de Tegoborze, Stud; Poëſ.

Est sed hoc præter; mihi pollicetur
Quòd puer de te meliora longè,
Spesque maiores; modo crede Vati.
Mira loquenti.
Ætheris celsi Videor Videre
Ianuam, & cæli reserata Templa.
Proquè Fortunis tibi deuouendis,
Dicere Diuos.
Inclytam matrem Euphrosynem Tuã, Vnâ
Cum Tuo magno Genitore cerno,
Aggredi Diuos, prece suppliciq;
Reddere Vota.
Inde Patronos dare Verba pro Te
Virgini Matri, Video Vrget inde
Primus Humani generis Parens; hinc
Hieronymusque.
Purpurâ canos humeros rubenti
Totus indutus, caput & Galero
Tectus insigni, prior Infulatos,
Ante Dynastas.

Imperiî Sacri decus, atq́ue prima
Fama Doctorum, Latiale cælum
Siue quos Ecclesia mater olim
Protulit orbi.

Procidens supplex genibus Verendis,
Doctus Hebræi, Latij, & Pelasgi
Ille sermonis, sua soluit ora,
Taliter orans.

Diua quæ gestas gremio Tonantem,
Et potes quicquid libet impetrare,
Mater & Virgo sine labe semper
Pulchrior astris.

Nolo te multis Dea demorari,
Vnicum posco; prece supplicanti
O faue & præsta. Mihi dedicatus
Aureus Heros.

Ortus à Granow titulis Parentum
Orbe præclarus, radiansq; multâ
Luce maiorum, magis Vsque & Vsque
Crescat in orbe.

Et Velut cælo nitet inter omnes
Lucifer stellas magis; aût coruscat

Altius

Altiùs Phœbe radijs, minore
Sydere quouis.
Ille sic inter celebres Polonæ
Gentis Heroas, pietate clarus,
Luceat semper. Fideique lumen
Efferat orbe.
Dixit: & doctâ monumenta dextrâ
Fortè quæ gessit, sibi pulcher ales
Iussit vt ferret. dedit & Leonis
Pignus eidem.
Scilicet Princeps Tuus hic Patronus,
Indicat signis. Tibi quæ feruntur
Cælitùs: prosis Patriæ arte clarus,
Marteq; fortis.
Hinc laboratâ radians Mineruæ
In togâ laxâ, grauis atque plenus
Plurium annorum, comitante multâ
Pænè cateruâ
Tam virûm longæ decus induentûm
Artubus pulchris chlamydis, iuuentæ
Quam sacræ musis stat: & ora pronus
Lumine flexo

Orat, & ſupplex medians phalanges
CANTIVS Diuus celebris Lycei
Doctor inſignis, pia Vota pro Te
Soluit Olympo.

Inde cæleſtis Iuuenis Volucri
Aduolans pennâ roſeo ore pronus
Supplicat pro Te Dominæ ſupremæ
Totius orbis.

Alexander Zaluski, de Zalusk, Fil. Pincerna Rauenſ: Vicecap: Opocinenſ: Stud: Pöeſ:

XIII.

Hinc de in terris Auiæ ſupremum
Verticem ſcandunt pia Vota pro Te,
Et preces crebræ gemitu perenni
Sydera pulſant.

Mitto perplures, Tibi qui ſecunda
Sydera exoptant, ſuperoſq; flectunt,
Vt Tibi inclinent bona quæque cælo,
Numine flexo.

Vnicum Sydus Patriæ, iubarque
Ordinis Sacri, nequeo ſilere,

Nec Volo: summâ pietate pridem
Astra merentem
Præsulem, & cælo caput efferentem,
Atque cælestem magis hunc Virum, quam
Credo Terrestrem: licet hunc catena
Corporis arctet.
Nolo, nec possum sine laude summâ
Mittere Illustrem pietate Mysten,
SIENIAVÆ Genti ex Atauis, Auisque
Sanguine iunctum.
Quem Virum? aût Heroa? Polo & Polono
Nomine insignem referam? Fauentem
O tibi Princeps animo fideli &
Pectore toto?
Venit in mentem tibi cogitare,
Barbito nostro recinente nondum,
Nomen illius: Tibi Venit illum
Commeminisse.
Venit ANDREÆ tibi TARLO nomen
Venit in mentem. Quoties hic altum
Mente suspirat; quoties aditque
Sacra Tonantis,

Inque Diuinis, animi stupore
Hæret infixus. Sine Te momentum
Non ei transit minimum: cui ille,
Summa precatur,
Nomina in Regno. Roseasque pro Te
Virgini Matri toties coronas
Nectit, vt Regno, mereasq; cælo
Ipse coronam.
Virginum Virgo precibus benigna,
Annuens Diuûm: tibi quæ precantur
Cælites, defert Genito Tonanti: &
Spondet Olympo
Fata compleri; quibus ordinatum est,
Pridem ab æterno fore Te beatum
Principem terris, celebremq; toto
Orbe Polono.
Gratus ô tanti memor & fauoris
Esto in æternùm, referasque cælo
Cuncta, dum Viues; decor omnis Vnde
Depluit in Te.
Et Deo, & Matri superûm Tonantis,
Seruias semper: positoque Vultu:
Te

Te, Tuum & Regnum, populos Tuosque
Subde Mariæ.
Sic eris felix mihi crede semper,
Sic eris clarus, celebrisque toto
Orbe terrarum; modò perge Tete
Reddere Diuæ.
Vt Tuæ Lunæ, domuique semper
Præsit, & cælo Veniat benigna,
Vota fac Diuæ, Dominamque supplex
Orbis adora.

Georgius Marcinkowski, de Marcinkowice,
Fil: Subdapif. Crac. Stud: Poës.

XIV.

PLura? sed tempus prohibet. Fer æquâ
Mente, quantumuis opus hocce Vile est.
Æstima mentem, Voluisse rebus
Est sat in arctis.
Qui Tuas Laudes referant diserto
Carmine, exurgent Academiâ. Quam
Tu cole Vt Matrem, cole CANTIVMque
Pectore toto.

Qui

Qui Tibi, certum est Superûm Tonantem
In Preces flectit, facilemq; reddit,
Omnibus Votis; quoties ad illum
Corde leuaris.

Vtque procliuis magis obligetur,
Ad Tuos nutus; age fac Sepulchro
Illius ponas tua Vota, & auge
Eius honores.

Stanislaus Lukowski, de Lukow.
Stud: Poës:

XV.

INterim Princeps, quia fugit hora
Nec sinit multis agere. Auspicatos
viue Natales sine nube, mille in
Sêcla renatus,

Nomine, & famâ, meritis, honore,
Et Domo Illustri; cùi surgat hæres,
Multiplex donis, sine termino vllo in
Secula mille.

Hæc vt è Cœlo veniant Nepoti,
Tu potes verbis Auia hoc tuis con-
ferre.

ferre. Fac ergo Benedic ei, ſic
Sydera tanget.

Ioannes Skarbek, de Domo Habdank,
Stud: Poëſ.

XVI,

SIc erit felix, nimiùmq́ue proſper,
Omnibus ſêclis, numeroq́ue ſemen
Ipſius, cœli ſuperabit ignem
Et maris vndas.
Vota iuſtorum pia nam parentum,
Filios omni faciunt repleri
Copia; cunctis ſpatiis dierum, in
Secula quæuis.
Os tuum iuſtum, pia, iuſta, ſancta,
Principis nutrix, Auia, & Patrona:
Adfauens caro, in bona Verba ſolue
Ora Nepoti.
Illius Sortes; Tua gaudia: Vrge
Cælites omnes faueant Nepoti

Viuat vt felix sine fine; ab omni
Parte beatus.

Hyacinthus Dabski, de Lubraniec,
Stud: Poës.

XVII.

PORrò Tu Princeps, Auiæ Inclytæ: adde
Pectus & robur meritis; Vt illa,
Te pijs Votis faciat beari
Omne per æuum.

Hæc Sat. ô Princeps BENEDICERE omni
Tempore ex altis Domino Supremo,
Extulit qui Te: BENEDIC eum, omni
Tempore Vitæ.

Gratias cœlis; Animæ Parentum,
Iusta fac reddas. Animum Magistris
Dede: Natales Tibi concinenti
Offer Amores.

Finio Virgo cùi Luna sese
Sub pedes sternit, sociare semper
SIENIAVÎ Lunæ domuiq; præsis.
Luce perenni.

Stella

Stella Tu certè maris. Angiportu
Seculi istius radijs benignis
Principi nostro faueas, & esto
Præuia semper.
Vt per hoc Vitæ pelagus procellis
Obrutum tranans duce Te; secundo
Spiritus Sancti Zephyro, salutis
Littora tangat.
Lustra post centum totidemq; sêcla,
Sole ab Æterno radiatus inter
Principes cæli, sine fine felix
Transigat æuum.

Michäel Kuropatwa, de Łacuchow.
Lubl. Stud. Pöes.

Hen-

Hendecasyllabum.

NAscenti tibi SIENIAVI parabam,
Cunas sternere molliore plumâ.
Ignosce Astriger ô puelle Princeps,
Non sterno tibi, nec propino cunas.
Pro cunis tibi Luna se dicauit,
Pro plumâ meliore fama strauit.
Pæana accipe: quem tuo sub ortum
Musæ Lucifero canunt nouenæ.
Etsi carmine non satis diserto.
Certè pectore candido & referto.

Stanislaus Ossedowski, Artium Magister, Philosophiæ Doctor, Professor Poës. Nouodwor. P.P.